go bonum appetit, vel appetit bonum perfectum, ſive in re ſit tale, ſive ut tale apprehendatur; & hic actu, & revera appetit ultimum finem formalem, ſive beatitudinem, quæ in bono conſummato, & perfecto conſiſtit; vel appetit bonum imperfectum tendens ad perfectum, & hic etiam ultimum finem virtualiter, ſeu interpretative intendit, quia ad quem tendit, atque adeo ultimum finem amat, ad quem tendit. Quia qui inchoationem operis vult, virtualiter cenſetur velle operis conſummationem: ſicut qui jacit fundamenta domus, cenſetur velle domum, quia fundamentum eſt inchoatio domus; & in naturalibus, qui ponit embryonem, cenſetur velle formam perfectam animalis, cujus embryo eſt inchoatio imperfecta.

VII. Secunda D. Thomæ ratio eſt. Ultimus finis ſe habet in movendo appetitum, ſicut ſe habet in aliis motionibus primum movens; ſed cauſæ ſecundæ non movent, niſi ſecundum quod moventur a primo movente; ergo ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.

VIII. Confirmatur. Quando quiſpiam appetit aliquid, quod ex natura ordinatur ad aliud, interpretative, & virtualiter dicitur operari propter illud, etſi actu de illo non cogitet. Unde cum quis ſumit alimentum, quod ex natura ſua ordinatur ad nutritionem, cenſetur interpretative velle nutritionem, etſi de ea actu non cogitet: & qui dat eleemoſynam ex motivo miſericordiæ, nihil cogitans de Deo, quem forte non cognoſcit, ut Paganus, cenſetur interpretative illam dare propter auctorem naturæ: & e contra dum homo vult aliquid contra legem naturalem, cenſetur illud velle contra legem æternam, cujus lex naturalis eſt participatio; ergo cum quis vult bonum particulare, nihil cogitans de fine ultimo, virtualiter vult finem ultimum, quia bonum particulare ex natura ſua ordinatur ad illud, ſicut quædam ejus inchoatio, & participatio.

IX. Hinc D. Auguſtinus ſentit omnia hominem facere, ut ſit Beatus. Sermone enim modo 150. qui eſt de Epicureis, & Stoicis c. 3. *Communiter* (inquit) *omnes Philoſophi ſtudendo, quærendo, diſputando, vivendo appetiverunt vitam beatam. Hæc una fuit cauſa philoſophandi. Sed puto, quod etiam hoc Philoſophi nobiſcum commune habent. Si enim a vobis quæram: quare in Chriſtum credideritis, quare Chriſtiani facti fueritis, veraciter mihi omnis homo reſpondet, propter vitam beatam.* Et, poſt aliqua ſubdit: *Nam & qui bonus eſt, ideo bonus eſt, ut beatus ſit, & qui malus eſt, malus non eſſet, niſi inde ſe beatum eſſe poſſe, ſperaret... Verbi gratia pone aliquem furem, quæro ab illo: quare furtum facis? Ut habeam, inquit, quod non habebam; Quare vis habere, quod non habebas? Quia miſerum eſt non habere. Si ergo miſerum eſt non habere, beatum putat habere. Sed in eo imprudens eſt, & errat, quia de malo vult beatus fieri.* idem docet Serm. 1. in Pſalm. 118.

X. Dico ſecundo. Quidquid in particulari libere, & humano modo homo vult, illud vult propter finem ultimum formalem virtualiter, etiam ex parte operantis. Ita probabilius cum multis, & magis conformiter menti D. Thomæ hoc *art. 6. ad 2.* cum enim ſibi objeciſſet; quod non ſemper homo, cum vult aliquid, cogitat de ultimo fine, atque adeo non ſemper operatur propter illud, reſpondet: *Quod non oportet, ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur: ſed virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitetur, ſicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine.* Quæ verba, niſi violenter exponantur, non poſſunt intelligi de intentione virtuali ex parte operis tantum, ſed de intentione ex parte operantis, quæ in eo præceſſit: & cujus virtus manet in quolibet appetitu, licet actu tranſierit. Non autem dicit, quod maneat *in quolibet appetibili*, ut dicere debuiſſet, ſi de ordinatione ſolum ex parte loqueretur. Unde in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 4. ad 6. *Sicut* (inquit) *in intelligibilibus non oportet, ut in omnibus contrahentibus demonſtrationibus prima principia eſſentialiter ingrediantur, quaſi actualiter cogitata, ſed virtute tantum, dum demonſtratio inſicitur ex his, quæ per prima principia fidem habent; ita etiam quamvis omne deſiderium ad beatitudinem referatur, non tamen oportet, quod in omni deſiderio de beatitudine cogitetur: ſed deſiderium beatitudinis eſt virtute in omnibus aliis deſideriis, ſicut cauſa in effectu.*

XI. Probatur etiam ratione ejuſdem S. Thom. hoc *art. 6.* Sic ſe habet finis ultimus in movendo, reſpectu finis particularis, in genere cauſæ finalis, ſicut in genere cauſæ efficientis ſe habet primum movens, & efficiens ad cauſas efficientes particulares: non minus enim finis ultimus ſibi ſubordinat omnes fines intermedios, quam prima cauſa efficiens omnes cauſas ſecundas particulares: ſed impoſſibile eſt, quod cauſa particularis operetur, niſi præſupponat influxum cauſæ primæ, nullum in effectum, ſed in cauſam particularem agentem; ergo impoſſibile eſt, quod finis particularis moveat; quin ſupponat motionem finis ultimi, nedum ex parte operis; ſed ex parte agentis: ſed cauſalitas finis eſt appeti, & deſiderari, ſicut cauſæ efficientis eſt agere; ergo &c. Sicut ergo intentio finis particularis præcedit omnia media illius ordinis; unde in Medico omnia, quæ fecit erga infirmum procedunt ex præcedenti intentione ſanandi ipſum: ita in omni operante humano modo quæcumque agit circa particulares fines, ex præhabita ultimi finis formalis intentione derivantur.

XII. Probatur ſecundo. Actus, quo voluntas vult finem ultimum in communi, eſt neceſſarius, & naturalis ſaltem quoad ſpecificationem, ſic enim illum amat, ut odio habere non poſſit; ergo ſemper præcedit actus voluntatis circa fines particulares, quia voluntas prius eſt natura, quam potentia libera. Unde D. Thomas infra *q. 9. art. 6. ad 3.* ait: quod *Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor, ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud*: Et merito. Nam id, quod eſt varium, & incertum reduci debet in aliquod ſtabile, & certum, ne detur proceſſus in infinitum: cum ergo determinationes liberæ voluntatis variæ ſint, & incertæ, debent reduci ad aliquam, quæ ſit fixa, & immobilis; quæ alia eſſe non poteſt, quam volitio naturalis, & neceſſaria ultimi finis.

XIII. Nec refert, ſi dicas, quod eſto volitio ultimi finis in communi, ſeu beatitudinis, præcedat volitionem quorumcumque finium particularium, non poteſt tamen influere in actus, qui poſtea ſequuntur, neque virtualiter. Nam ſæpe voluntas ſuſpendit omnem actum, & deſinit operari: ſæpe etiam interrumpitur. Ut autem virtualiter influeret in actus ſubſequentes, deberent non ſolum ſubordinari fini ultimo, ſed ſubordinari invicem; ita ut unus eſſet medium in ordine ad alterum. Unde cum ſingularia bona, quæ quis appetit; non ſint invicem connexa, ut unum ſit medium ad alterum; ideo illa virtus ultimi finis non poteſt conſervari in volitione finium particularium, nec tranſire ex una volitione finis particularis ad aliam.

XIV. Nam contra eſt. Intentio enim finis ultimi, ſeu beatitudinis in generali, eſt volitio finis univerſalis; ergo ejus influxus debet ſe extendere ad omnes volitiones particulares: ſicut influxus cauſæ primæ, & univerſalis ſe extendit ad omnes cauſas, & effectus particulares.

Nec obſtat, quod hæc intentio ſæpe ceſſet, & interrumpatur; quia tamen nunquam retractatur, immo ſæpe reſumitur, & reiteratur, maxime cum voluntas incipit aliquid de novo velle ad quod ex præcedentibus electionibus non erat determinata: ideo hoc ſufficit, ut virtus ejus maneat in quibuſcumque ſequentibus electionibus, & quod quaſcumque electiones actu præcedat intentio ultimi finis formalis. Hoc docuit S. Auguſt. *l. 11. de Trin. cap. 6.* Ubi loquens de vidente: *Si enim* (inquit) *non refert ad aliud viſionem, ſed tantum voluit, ut videret; non eſt diſputandum, quomodo oſtendatur, finem voluntatis eſſe viſionem: manifeſtum eſt enim. Si autem refert ad aliud; vult utique aliud, nec jam videndi voluntas erit: aut ſi videndi, non hoc videndi, ſed aliud: tamquam ſi velit quiſque videre cicatricem, ut inde doceat vulnus fuiſſe; aut ſi velit videre feneſtram, ut per feneſtram videat tranſeuntes. Omnes iſtæ, atque aliæ tales voluntates ſuos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beate vivere, & ad eam pervenire vitam, quæ non referatur ad aliud, ſed amanti per ſeipſam ſufficiat.* Inde oſtendens, omnes ſive bonas ſive pravas voluntates eſſe invicem colligatas in ordine ad ultimum finem: ait: *Et ideo rectarum voluntatum connexio iter eſt quoddam aſcendentium ad beatitudinem, quod certis velut paſſibus agitur: pravarum autem atque diſtortarum voluntatum implicatio, vinculum eſt, qua alligabitur qui hoc agit, ut projiciatur in tenebras exteriores.* En quomodo in omnibus actibus circa fines particulares ſupponit Auguſtinus includi voluntatem ultimi finis, & in ordine ad iſtam omnes eſſe connexos.

XV. Quod autem dicitur, tunc ſolum intentionem ultimi finis ex uno medio virtualiter derivari ad aliud, quando ſunt invicem ſubordinata, ut unum ſit finis alterius; verum quidem eſt de intentione finis particularis, non vero de intentione finis ultimi: hujus enim virtus communicatur non ſolum ſecundo medio ſubordinato priori, ſed cuique etiam diſparato; quia eſto inter ſe diſparata, in ordine tamen ad finem ultimum, ob quem omnia aſſumuntur, connexa ſunt. Ponamus, quempiam intendere pro ultimo fine ire Romam, & ex iſto fine conducat equum; deinde reperto curru, non repetita intentione finis, conducat dimiſſo equo currum: poſtea emat calceos, veſtem ſumat. præparet cibaria; quis dicat, hunc omnia iſta non facere ob finem eundi Romam? Et tamen iſta media invicem ſunt inconnexa, ſed ſimul omnia conducunt ad principalem finem itineris.

XVI. Nec etiam juvat dicere, nos experiri ſæpe, intendere finem proximum nihil cogitando de fine ultimo. Nam ſi bene nos penetremus, inveniemus, finem ultimum nos ad omnia movere, cum omnia faciamus, ut felices ſimus. Cæterum cum intentio illa ſit valde generalis, & confuſa, & habeatur ſine reflexione, & attentione, non mirum ſi fugiat advertentiam noſtram. Verum ſi humano modo procedimus, operari debemus propter finem ultimum virtualiter intentum ab operante, & non ſolum imbibitum in natura ipſius operationis. Nam, ut diximus, operari propter finem ex parte operis convenit etiam brutis, immo & ipſis inanimatis.

XVII. Dico tertio. Homo in omni operatione humana ſaltem virtualiter, agit propter aliquem finem ultimum materialem, ſeu in particulari verum, vel apparentem. Hæc concluſio, quæ ex præcedente infertur, probatur. Intentio enim, utpote appetitus efficax finis, illum ut futurum, & obtinendum reſpicit; ergo non poteſt ferri in rem communem, & a ſubjecto abſtractam; ergo in illa ut alicui ſubjectam: ergo quotieſcumque homo intendit finem ultimum, ſeu beatitudinem, de facto ſub tali ratione vult aliquem finem ultimum in particulari, cui applicat rationem beatitudinis, & finis ultimi, hoc eſt, Deo, vel virtuti, & bono honeſto, aut bono delectabili, ſeu vitio; licet per affectum inefficacem, & ſimplicis complacentiæ poſſit ferri circa beatitudinem in communi, & ab omni ſubjecto abſtractam.





§. III.

*Solutio objectionum.*

XVIII. OBjiciunt contra primam aſſertionem. Si ex eo, quod quodlibet particulare bonum eſt participatio, & inchoatio boni perfecti, ideo non poteſt quis intendere aliquod bonum particulare, quin ſaltem interpretative velit bonum ut ſic, & conſummatum, ſequitur, quod homo, etiam dum peccat, interpretative ſaltem intendat, & velit Deum, & propter Deum operetur: quia etiam dum peccat, appetit bonum creatum: omne autem bonum creatum eſt quædam participatio, & inchoatio bonitatis divinæ ex natura ſua ad illam ordinata: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Reſpondeo, neg. maj. Ad rationem diſt. Appetit bonum creatum ordinate, neg. maj. Inordinate, conc. maj. Immo in hoc peccat, quia bonum creatum, quod ex natura ſua ordinatur ad Deum, a tali ordine detorquet; atque illud ad ſeipſum, ut ultimum finem refert, & convertit. Quare non operatur propter Deum, ut ultimum finem, ſed potius ſeipſum, & actionem ſuam avertit a Deo, ut ultimo fine, & illum ſtatuit in bono creato. Operatur adhuc tamen propter ultimum finem formalem; quia bona illa vult, ut ſunt participationes boni communis, ſeu beatitudinis, quamvis perverſe eam applicet: conſtituendo illam in ſubjecto, in quo beatitudo nec eſt, nec eſſe debet.

XIX. Eſto autem peccator peccando, a Deo ultimo fine actionem, & ſeipſum deordinet; adhuc tamen, ut ait Auguſt. *l. 2. Confeſſ. c. 6.* vel nolens in Deum, & ultimum finem recidit: quia tamen hoc perverſe facit, deordinando a Deo ea, quæ ad ipſum ordinatur, peccat: *Perverſe* (inquit) *te imitantur omnes, qui longe ſe a te faciunt, & extollunt ſe adverſum te. Sed etiam ſic te imitando indicant, Creatorem te eſſe omnis creaturæ; & ideo non eſſe, quo a te omni modo recedatur.* Ubi non ait Auguſtinus, qui perverſe te imitantur &c. *appetunt* te Creatorem; quia nihil appetere poſſunt, quod non ſit a te: & ideo dum a te ultimo fine recedunt, & in te ultimum finem nolentes recidunt. Quemadmodum D. Thom. *q. 22. de Veritat. art. 2. ad 3.* ait: quod Deus in aliquibus effectibus ſuis refugitur: *Et tamen oportet, quod illi, qui eum quantum ad aliquos effectus odiunt, in aliis effectibus diligant eum; ſicut ipſi Dæmones, ſecundum Dionyſium in 4. cap. de Divin. nomin. appetunt eſſe, & vivere naturaliter: & in hoc ipſum Deum appetunt, & diligunt*, dilectione tamen inefficaci, non efficaci, phyſica, non morali, ut ſuperius diximus *quæſt. 6. de Angel. volunt. Dub. 2. §. 5. n. 26.* qua dilectione etiam hominem peccatorem diligere Deum, non abnuimus.

XX. Objiciunt ſecundo contra eamdem. Juſtus venialiter peccans non vult actionem illam propter ultimum finem: non enim illam vult propter Deum, cum utpote peccaminoſa, non ſit ordinabilis in Deum: neque propter creaturam, cum ponere ultimum finem in creatura ſit peccatum mortale, non veniale.

Confirmatur primo. Idololatræ habent Idolum pro ſuo ultimo fine: ſed non omnia, quæ volunt, volunt propter idolum: ſic enim omnia eorum opera eſſent peccata: cujus oppoſitum ſuo loco oſtendetur; ergo &c.

Confirm. ſecundo. Qui ſeipſos tædio vitæ interficiunt, nec intendunt quidem ultimum finem ſub generali ratione beatitudinis; cum per ſui interfectionem intendant non eſſe: non intendunt eſſe beati; quia eſſe beatum ſupponit eſſe.

XXI. Reſpondetur, ſecundum aliquos, Juſtum venialiter peccantem intendere quidem, vel voluptatem, vel commoditatem, vel aliquid ſimile velut proximum, tamquam vero finem ultimum ſui peccati nec habere Deum, neque creaturam in particulari, ſed ſolum beatitudinem in communi. Neque enim (dicunt) neceſſe eſt, quod omnia, quæ vult homo etiam deliberate, ea velit vel propter Deum, vel alium ultimum finem particulariter apprehenſum; maxime quando in nullo ponit ultimum finem efficaciter.

XXII. Reſpondeo cum aliis (& forte verius, ut Dubio ſequenti dicemus) Juſtum, dum peccat venialiter, ſe convertere quidem ad creaturam, quam inordinate vult, tamquam in finem ultimum, non tamen abſolute, & efficaciter, ſicut qui peccat mortaliter; ſed ſolum inefficaciter, & ſecundum quid: eo quod, peccando venialiter, non ſic ſe convertit ad creaturam, ut a Deo, ad quem habitualiter converſus eſt, efficaciter recedat. Sed de hoc infra.

XXIII. Ad primam confirmationem dico, quod ſicut Juſtus, qui habitualiter efficaciter converſus eſt ad Deum, dum peccat venialiter efficaciter converti poteſt ad creaturam: ſic Idololatra, qui habitu efficaciter converſus eſt ad Idolum, ut ultimum finem, poteſt in aliquo opere inefficaciter converti in Deum, ut ultimum finem, quo ſcilicet actu non avertatur a Deo; quemadmodum quando ex motivo miſericordiæ dat eleemoſynam pauperi: & ideo non in omni opere peccet.

XXIV. Ad ſecundam confirmationem, neg. ant. Qui enim tædio vitæ ſeipſos interficiunt, quamvis per ſui interfectionem intendant non eſſe, virtualiter intendunt eſſe beati beatitudine non vera, ſed quam ſibi imaginantur: cupiunt enim non eſſe, ut hoc medio careant malis, quibus affliguntur. Unde carentia malorum, quam pro tali tempore apprehendunt ut ſibi ſummum bonum, & ſuam felicitatem, eſt illis ultimus finis. *Nullus* (inquit D. Thom. hac 1. 1. q. 29. art. 4. ad 2.) *ſibi vult, & facit malum, niſi in quantum apprehendit illud ſub ratione boni. Nam & illi, qui interimunt ſeipſos, hoc ipſum, quod eſt mori apprehendunt ſub ratione boni, in quantum quod eſt terminativum alicujus miſeriæ, vel doloris.* Idem docet in *4. diſt. 39. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 3.* & *quæſtiuncula 4. ad 4.*

XXV. Objiciunt contra ſecundum concluſionem primo. Si quidquid homo libere, & humano modo operatur, virtualiter vult propter ultimum finem formalem, ſequitur, nullum dari actum otioſum in illo; actus enim otioſus eſt, qui caret fine: ſed hoc eſt falſum; nam ſicut dantur verba otioſa in homine, ita etiam actus otioſi; ergo &c.

Reſpondeo, neg. maj. Nam actus non dicuntur otioſi, ſicut nec verba, quod non ordinentur ad ultimum finem formalem: ſed quod careant fine debito particulari, & intermedio ab operante præbituro: ut ſi delectationis, & terendi tempus cauſa vanis, & inutilibus verbis, & factis diu ſeſe exerceat. Ut enim docet D. Th. in *2. diſt. 40. q. 1. art. 5. ad 8.* verbum otioſum eſt id, quod caret intentione piæ utilitatis, aut ratione juſtæ neceſſitatis.

XXVI. Dices cum Vaſquez. Si omnes actiones humanæ ſupponunt intentionem ultimi finis; in eo, qui ſemel intendit omnia referre in Deum, omnia, quæ deinceps ageret, referrentur in Deum, & ſic nec daretur in eo verbum otioſum in ſenſu a nobis explicato; nec in infideli dari poſſet actio bona moralis, ſi ſemel ſtatuit omnia referre in Idolum, quia ex illa voluntate omnia orientur: ſed hoc eſt falſum, quia ut illa intentio prima influeret in actus ſequentes, deberet non interrumpi, ſed continuari, immo & connecti cum illis. Addit, nec probabili fundamento apparere, neque experientia; ex illa voluntate ultimi finis alias in nobis derivari, ut etiam experientia conſtat; nec enim ſingula negotia ex hac beatitudinis voluntate inchoamus, aut proſequimur proxime vel remote.

XXVII. Multa hic dicit. Singula refellenda ſunt. Nego enim primo aſſumptum, vel diſt. Omnia &c. referentur, quæ ſunt referibilia, concedo. Quæ non ſunt referibilia, nego. Virtute ergo illius primæ intentionis quilibet appetitus cujuſque rei in talem finem ordinabilis refertur in ultimum finem; & talis finis intentus connectitur, & continuatur virtute cum operibus ſequentibus, hoc ipſo, quod illa intentio referendi omnia in talem finem non ſit retractata; & illa opera ſint capacia, ut ordinentur in illum finem. Quod ſi vel intentio eſt retractata, vel opera ipſa capacia non ſint, ut ſubordinentur tali fini; ſicut nec verbum otioſum, nec peccatum veniale poſſunt ſubordinari fini charitatis; neque opus virtuoſum modo connaturali, nempe ex motivo honeſto factum, ſubordinari poteſt fini prava: talia non referuntur ad finem intentionis præcedentis, quia illi non connectuntur, ſed ad alium finem, cui ex propria natura ſubordinantur, qui ſe habet ut ultimus finis, ſaltem illius operis, & ſecundum quid, non ſimpliciter ex parte operantis.

XXVIII. Quare ex intentione omnia referendi in Deum procedere non poſſunt actus, ſeu verba ex objecto, & aliis circumſtantiis otioſa; quia peccata ſaltem venialia in ſe ſunt: peccata autem venialia in Deum ſaltem efficaciter ordinabilia non ſunt. Similiter opus virtuoſum, quod poſtea fit ab infideli, non vitiatur a prævia intentione omne referendi in Idolum; ſi actus ille fiat ex honeſtate illius actus. Tunc enim non eſt capax, ut referatur in finem pravum, & infidelis ſic operans ſecundum quid refertur in finem bonum, non ſimpliciter, quia vi illius actus non omnia ſua refert in bonum finem, ſed ſolum illud opus.

XXIX. Quod vero dicit, non omnia negotia inchoari proxime, aut remote, explicite, aut implicite ab illa prima intentione, falſum dicit, & opponitur S. Auguſtino §. præcedente allato; immo experientiæ, qua experimur, nos omnia negotia inchoare ab aliquo fine habente aliquam veram, vel apparentem conditionem beatitudinis, ut excellentiæ, delectationis, affluentiæ, commoditatis &c.

XXX. Objiciunt contra ultimam concluſionem. Poteſt voluntati proponi ratio beatitudinis in communi nulli ſubjecto applicata; ergo eam ſic propoſitam poteſt voluntas appetere.

Reſpondeo, diſt. conſ. Eam appetere appetitu inefficaci, conc. conſ. Appetitu efficaci; nego conſ. Appetitu enim, ſeu intentione inferente electionem mediorum, cum finem ut futurum, ac obtinendum reſpiciat, non poteſt voluntas finem velle, niſi alicui ſubjecto applicatum, quamvis poſſit eum in abſtracto amore inefficaci, & ſimpliciis complacentiæ proſequi: quia ſic proponitur propoſitione quaſi ſpeculativa, non practica.

DUBIUM VI.

*An poſſit idem Homo ſimul appetere efficaciter duos ultimos Fines totales, & adæquatos?*

§. I.

*Quorumdam expoſitio.*

I. DE hoc agit S. Thomas hac *q. 1. art. 1.* Prius tamen ſenſus difficultatis explicandus eſt. Loquitur ergo S. Doctor de fine ultimo, quem ſibi operans conſtituit, non de illo, qui ex natura rei omnibus rebus conſtitutus eſt: hoc enim eſt ſummum bonum in re, qui eſt Deus, qui unicus tantum eſſe poteſt. Unde S. Thom. in calce Corp. hujus articuli concludit: *Oportet, quod ſicut omnium hominum eſt naturaliter unus finis ultimus; ita hujus hominis voluntas in uno ultimo fine ſtatuatur.*

II. Item loquitur de pluribus finibus ultimis ſimul habendis: nam ſucceſſive poſſe eumdem hominem plures fines habe-

re, exploratum eſt. Etenim idem homo, qui modo juſtus conſtituit ſibi ultimum finem Deum, poſtea mortaliter peccans, relicto Deo, conſtituit ſibi ultimum finem creaturam.

III. Loquitur tertio de eodem homine: nam diverſos homines poſſe habere diverſos fines ultimos; unum, ſcilicet juſtum, habere pro ultimo fine Deum; alium, nempe peccatorem, pro ultimo fine habere creaturam, extra dubium eſt.

IV. Loquitur quarto de fine ultimo totali, & adæquato formaliter, ſeu ex parte rationis formalis; nec ſolum adæquato, & totali in actu primo, ſed in actu ſecundo; non autem ſolum materialiter, ſeu pro rebus, in quibus ratio ultimi finis invenitur. Has enim poſſe inadæquate concurrere, ut unum componant felicitatis cumulum, perſpicuum eſt in voluntatibus, quæ extra Deum felicitatem quærunt; nec in una re totam beatitudinem poſſunt invenire, ſed ex pluribus congregant. Igitur ex parte materiali, ſeu rerum, quæ materialiter requiruntur ad finem, plura inveniri poſſunt, quæ inadæquate ad rationem illam ultimi finis conſtituendam concurrant: & iſta omnia eumdem hominem poſſe ſimul intendere, quia omnia illa unus finis ſunt, docet S. Thom. hoc *a. 5. ad 1.* Ubi reſpondens dicto S. Auguſtini *l. 19. de Civ. Dei c. 1. & 5.* dicentis: quod quidam ultimum finem hominis ponunt in quatuor, ſcilicet, in voluptate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute; inquit: *Quod omnia illa plura accipiebantur in ratione unius boni perfecti ex his conſtituti ab his, qui in eis ultimum finem ponebant.* Difficultas ergo eſt de duplici fine ultimo totali, adæquato, & perfecto, & rationem ultimi finis adæquate obtinente, ſcilicet, bonitatem conſummativam, & perfectivam appetitus totaliter, & terminative.

V. Tandem loquitur de ultimo fine efficaciter intento, & volito. Quod indicat S. Doct. *in hoc art.* ſic in fine primæ rationis concludens: *Unde non poteſt eſſe, quod in duo ſic tendat appetitus, ac ſi utrumque ſit bonum perfectum ipſius.* Et in fine ſecundæ rationis: *Unde oportet* (inquit) *id, in quod tendit voluntas ſub ratione ultimi finis, eſſe unum.* Tendere autem in finem, ut perfectivum ſui, & tendere in illum per intentionem ordinatam ad illum per media aſſequendum, eſt conſequenter tendere per intentionem efficacem: quæ enim inefficax eſt, non tendit ad finis aſſecutionem, ſed ſolum ſibi complacet de bonitate illius.

## §. II.

*Statuitur ſententia D. Thomæ.*

VI. Dico primo. Impoſſibile eſt, quod idem homo pro eodem tempore efficaciter appetat duos ultimos fines totales, & adæquatos. Probat hanc aſſertionem D. Th. in arg. *Sed contra*, ſic: Illud, in quo quieſcit aliquis, ſicut in ultimo fine, hominis affectui totaliter dominatur: ſed implicat, duos eſſe fines, qui pro eodem tempore totaliter dominentur eidem voluntati; alias quilibet eorum dominaretur totaliter, & non dominaretur totaliter; cuilibet voluntas illa totaliter ſerviret, & non totaliter ſerviret. Unde Chriſtus Matthæi 6. v. 24. *Nemo* (inquit) *poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Ex quibus infert: *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ:* Ac ſi diceret: ſicut duo nequeunt eſſe ſimul Domini in ſolidum ejuſdem rei: ſic nec Deus, & divitiæ poſſunt ſimul eſſe fines ultimi adæquate eidem voluntati dominantes.

VII. In corpore autem Articuli tres affert rationes. Prima ſic proponitur. Quod appetitur efficaciter, ut ultimus finis totalis, & adæquatus, ideo ſic appetitur, quia apprehenditur, ut totaliter perfectivus, & ſatiativus appetitus: ſed quod apprehenditur, intenditur tamquam perfecte, & adæquate ſatiativum, non patitur ut aliud extraneum ab ipſo ſimul apprehendatur, & intendatur tamquam totaliter ſatiativum ejuſdem appetitus; alias quodlibet eorum eſſet adæquatum ſatiativum, & non eſſet: ergo &c.

VIII. Confirmatur. Finis ideo dicitur, quia finit, & terminat appetitum, ſi ſit ultimus, quia ultimo terminat: ſed repugnat, appetitum duplici termino adæquato ſimul terminari; alias quilibet eſſet adæquatus, & non eſſet: ſicut ſi linea duplici termino adæquate ultimo terminatur, uterque eorum eſſet; ergo &c.

IX. Sed dices. Poteſt quis ponere ultimum finem in aliquo, quod clare videt, non eſſe ſui perfectum completivum; & ſatiativum; ſicut luxurioſus ponit ultimum finem in venereis, quibus tamen videt, ſe non perfici, immo diminui in aliis bonis, & multis aliis malis onerari.

Similiter, qui multitudinem Deorum colebant, unumquemque eorum apprehendebant ut Deum; & ultimum finem, nec tamen quemlibet ut ſatiativum, & perfectivum omnis boni; ſed unum Deum pro uno bono obtinendo, alterum pro alio colebant, ut Cererem pro frugibus, Bacchum pro vino &c. Non ergo requiritur ut quod appetitur, ut ultimus finis appetatur, ut ſatiativum, & completivum perfectum ipſius operantis.

Propterea, ex quo ultimus finis ſit perfecte ſatiativus, eſto inferatur, eum non requirere alium extra ſe, ut perficiat apparentem, non tamen infertur, eum non poſſe ſecum pati alterum ſimile ſibi: & hoc non poſſe appeti ab eadem voluntate, non ut neceſſarium ad alterum, ſed pro ſua libertate ut ſibi placens, etſi ſuperfluum.

X. Sed hæc non obſtant rationi D. Thom.. Non primum. Ad ſatiandam enim perfecte pro aliquo tempore voluntatem humanam non ſequitur, quod bonum revera in ſe ſatiativum ſit, ſed ſufficit, ut ex corrupta æſtimatione practice tunc judicet, & apprehendat illum, ut totale ſui ſatiativum, licet revera non ſit. Quo fit, ut falſa illa æſtimatione recedente, alium ultimum finem ſibi conſtituat; & quotidie videamus, variata æſtimatione, variare etiam hominem ultimum finem, & rationem ſui adæquati perfectivi, modo in una re, modo in altera, etiam vitioſa collocare: quoſdam in delectabilibus ventris, de quibus ait Paulus ad Philipp. 3. ver. 19. *Quorum Deus venter eſt:* quoſdam quoque in delectabilibus venereis: quæ licet luxurioſus ſpeculative videat non ſufficere ſibi ad omnia, practice tamen, & hic & nunc ea apprehendit, & appetit, ut adæquatum ſui ſatiativum, eiſque omnia ſubordinat durante tali corrupta æſtimatione. Quod ſi a luxuria, vel quia ceſſet, & illud vitium amet; illi rurſus ut ultimo fini ſubjicietur: & ex alia corrupta æſtimatione omnia tali vitio ſubjiciet. Si vero ſimul amet luxuriam, & aliud vitium, nec unum alteri ſubordinet, nihilominus neutrum erit illi ultimus finis; quia ſemper utrumque ſubordinabit alicui tertio, puta propriæ commoditati, & hæc erit illi ultimus finis, propter quem omnia facit, & ne eum perdat, paratus eſt cætera relinquere.

XI. Hinc non obſtat ſecundum. Qui enim plures Deos colebant, unam rem ab uno, aliam ab alio ſperantes, nullum illorum tamquam ultimum finem colebant, etſi divinitatem cuique affingerent: ſed alium, eſto confuſe cognitum, ut ſummum bonum, propter quod Deos illos colebant, ſibi præſtituebant, & ſi non aliud, propriam commoditatem. Quod ſi accidiſſet, aliquem imaginationis adeo corruptæ extitiſſe, ut unumquemque ex illis Diis pro fine ultimo haberet; nullum tamen haberet pro fine ſimpliciter ultimo, & univerſali, ſed particulari, & reſtricto ad illud particulare obtinendum. Unde quiſque pro ſui appetitu unum aſſumebat, alium relinquebat, unum alteri ſubordinabat; & omnes tandem ſibi tamquam ultimo fini *cui*, & bono proprio, ſeu ſuæ felicitati tamquam fini ultimo *qui*, ſeu *cujus gratia*, ſubordinabat.

XII. Neque denique obſtat tertium. Nam de ratione finis ultimi ſimpliciter eſt, quod omnia ſibi ſubordinet, quæ pro tunc appetuntur; vel in omni genere, ſi reſpectu omnium appetibilium ſit ultimus, vel in aliqua ſerie, & ordine ſi in illa tantum ultimus ſit. Quia vero hic loquimur de ultimo fine ſimpliciter, in quo hic, & nunc homo ex vera, aut corrupta æſtimatione ita apprehendat bonum, ut eo perfecte ſatietur: nec aliud bonum tunc ei appareat, quo moveatur, ſed omnia ei ſubjiciat, & propter ipſum relinquat: ideo non datur locus, ut voluntas, dum ſic adhæret uni ultimo fini, pro ſua libertate alteri extraneo, & non ſubordinato ſimiliter adhæreat: alias neutri, ut ultimo fini, adhæreret. Quod ſi ex ſuperfluo (ut ajunt) illum alterum appeteret, aut ex abundantia; jam illum non appeteret ut finem ultimum, & principalem, unde cætera bona pendent, & ſine quo appetitus non ſatiaretur perfecte.

XIII. Ex his ratio D. Thom. magis roboratur ſic. De ratione ultimi finis ſimpliciter eſt, quod omnia ab appetente ordinentur ad ipſum, & ipſe ad nihil aliud ordinetur: ſed repugnat, dari duo, ad quorum ſingula omnia ſimul ordinentur, & neutrum illorum ordinetur ad aliud; ergo &c. Min. prob. Nam vel unum ex illis duobus finibus voluntas ordinaret ad alium, vel ambos ad unum tertium: verbi gracia, finem A. ad finem B. vel utrumque ad finem C. vel non. Si primum dicatur; finis A. non habebit rationem ultimi finis: cum ordinaretur ad finem B. nec finis A. & B. haberent rationem ultimi finis, cum ordinarentur ad finem C. Si autem dicatur ſecundum, finis B. non habebit rationem ultimi, de cujus ratione eſt, quod omnia ordinentur ad ipſum, cum finis A. ad ipſum non ordinaretur; ſicut nec finis A. eadem ratione, quia ad ipſum non ordinaretur finis B.

XIV. Altera D. Thomæ ratio eſt. Finis in voluntate ſe habet ut principium, quod naturaliter, & ratione ſui deſideratur, quia ejus objectum eſt finis, & bonum, ſicut in proceſſu rationis principium eſt id, quod naturaliter, & ratione ſui cognoſcitur: ſed natura non tendit niſi ad unum; ergo principium in proceſſu voluntatis debet eſſe unum. Sed principium in motibus voluntatis eſt finis ultimus, quia ab illo incipiunt motus, & intentio voluntatis; ergo finis ultimus debet eſſe unius.

Pro explicatione rationis præfatæ adverto primo. Quod cum D. Thomas dicit: *Finis naturaliter deſideratur*, ly *naturaliter* non opponitur huic, quod eſt indifferenter, & libere; ſed ſolum exprimit, quod ad finem non moveatur ex alio priori principio, ſed quod a fine incipiat motus voluntatis, & per eum conſtituta ut habilis, ut ſe moveat ad reliqua.

Similiter cum dicit: *Natura ſemper tendit ad unum*, ſumenda eſt natura in ſenſu valde formali, ideſt natura ſub determinato gradu; nam ut continet diverſos gradus, plures habere poteſt operationes, & tendere ad plura, quia ſic eſt virtualiter multiplex. Intelligitur etiam de operatione, ad quam per ſe primo ordinatur, & ex qua ſequuntur aliæ in eodem gradu. Pariter intellectus licet utatur pluribus principiis; illa tamen ad unum principale reſolvuntur, ut in ſpeculabilibus ad iſtud: *Quodlibet eſt, vel non eſt*; in practicis vero ad iſtud; *Bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum.* Vel ſi habeat plura principia materialia, unum tamen principium formale, nempe veritatem ex terminis notam, quæcumque ſit illa: ſicut, & voluntas pro objecto formali habet finem, & bonum, eſto non hoc, vel illud determinate.

XV. Tertia D. Thomæ ratio eſt. Illud, a quo omnes actiones voluntariæ ſortiuntur rationem generis, eſt tantum unum, cum omnia appetibilia a voluntate ſint unius generis. Hoc au-



autem eſt ultimus finis; quia, ſicut actiones voluntariæ ſortiuntur ex fine proximo ſpeciem: ita ex fine ultimo, qui eſt communior, ſortiuntur rationem generis. Accedit, quod ſicut ſe habet ultimus finis hominis ad totum genus humanum; ita ſe habet ultimus finis hujus hominis ad hunc hominem: ſed totius humani generis non eſt niſi unus ultimus finis, ut docet Div. Thom. infra *art. 7.* ergo etiam unius hominis in particulari non poteſt eſſe, niſi ultimus finis.

XVI. Dico ſecundo. Poteſt idem homo pro eodem tempore, habere duos ultimos fines ſimpliciter, unum efficaciter volitum, alterum inefficaciter. Probatur primo. Licet volitio, & nolitio ejuſdem rei in eodem homine ſimul repugnent, ſi ſint ambæ efficaces & abſolutæ; non tamen ſi una ſit efficax, alia inefficax: ut patet in mercatore efficaciter volente, ut ſalvet a naufragio vitam, projicere merces in mare; & inefficaciter nolente; ergo licet volitio efficax duplicis ultimi finis ſimul repugnet, volitio tamen efficax unius ultimi finis non excludit voluntatem inefficacem alterius ultimi finis. Sicut licet una forma in gradu intenſo excludat ab eodem ſubjecto aliam, quæ ſit in gradu intenſo, non tamen excludit aliam, quæ ſit tantum in gradu remiſſo.

XVII. Probatur ſecundo. Homo exiſtens in peccato mortali, ac ſubinde converſus ad bonum commutabile ut ultimum finem, poteſt operari aliquod opus moraliter bonum, puta, dare eleemoſynam ex motivo miſericordiæ; atqui in hoc opere non habet pro fine ultimo bonum commutabile, ſed Deum, quamvis inefficaciter volitum; ergo &c. Maj. conſtabit ex dicendis *Tract. de Gratia.* Min. prob. Tum quia alias peccator in quolibet opere peccaret, quod falſum eſſe ibi oſtendetur. Tum quia cum eleemoſyna, & quodlibet opus bonum morale a Deo ſit, ut boni honeſti auctore: & ad Deum ex natura ſua tendat: ſi ex tali motivo, & fine honeſto fiat, facit tendere hominem in Deum ut finem ultimum, non efficaciter, ſed inefficaciter. Sicut (ut dictum ſuperius eſt, & infra dicetur) homo juſtus, qui efficaciter habitu ad Deum ut ultimum finem converſus eſt, dum actu venialiter peccet, habet pro ultimo fine objectum commutabile, licet inefficaciter volitum.

## §. III.

*Contrariæ Sententiæ fundamenta.*

XVIII. Objiciunt primo. Duæ cauſæ efficientes totales poſſunt producere eumdem effectum: ſi enim duo ignes ſint in eodem loco, poterunt unam uſtionem producere; ergo ſimiliter duo ultimi fines totales poſſunt eſſe cauſa ejuſdem actionis.

Reſpondeo cum D. Thom. *1. par. qu. 52. art. 3.* neg. ant. Impoſſibile enim eſt, quod duæ cauſæ completæ ſint immediatæ unius & ejuſdem rei cauſæ, niſi ſint invicem ſubordinatæ: & ſi forte ad eumdem numero effectum concurrant, illum non producent, ut totales, ſed ut partiales, & per modum unius: ſicut plures concurrunt ad portandum idem pondus, quod quilibet ſeorſim portare poſſet: ita tamen, ut effectus ab eis ſimul junctis procedens futurus ſit numero diverſus ab eo, quem ſingulæ producerent, ſi ſigillatim operarentur.

XIX. Objiciunt ſecundo. Poteſt quis conſtituere ſuum ultimum finem in duabus rebus ſub disjunctione: ita ut velit conſequi non quidem utramque ſimul, ſed unam, vel alteram, puta honores, vel divitias, ergo poterit etiam eas appetere conjunctim.

Reſpondeo, diſtingu. ant. Vel enim ille, dum ſub disjunctione vult illa duo bona, itaut alterutro ſit contentus, ea invicem ordinat, vel ad unum tertium; & in hoc caſu, concedo ant. nam etſi illa duo non ſint ſubordinata invicem, ſubordinantur tamen alicui tertio, qui revera erit ultimus finis ex illis duobus coaleſcens. Vel non ordinat, nec invicem, nec ad unum tertium: & in hoc caſu, nego ant. Non enim quodlibet eorum diligeret ut integrum, & totale ſuum bonum; cum diligeret, & alterum in eo, in quo ab alio diſtinguitur; & inſuper cum unum non ordinaret ad alterum: de ratione autem ultimi finis eſt, ut omnia ab appetente ordinentur ad ipſum. Quare ſi quis deſideraret honorem, aut divitias, ſtatuens, quod quando alterutrum obtinuerit, ibi ſiſtet, nihilque amplius deſiderabit; vel in utroque ſolum partialiter, vel ſi totaliter, in alterutro ſolum ſuum ultimum finem conſtituet.

XX. Objiciunt tertio. Poſſe aliquem habere duos ultimos fines, ſaltem negative, ſic. Homo juſtus venialiter peccans plures habet ultimos fines ſaltem negative. Nam homo ille, quatenus juſtus, habet Deum pro ſuo fine ultimo: ſed aliunde, quatenus venialiter peccat, habet pro ſuo ultimo fine negative objectum venialis peccati; ergo &c. Min. prob. Finis ultimus negative eſt, qui non refertur ad ulteriorem finem: ſed objectum peccati venialis non refertur a peccante in ulteriorem finem: non enim ad Deum refertur, quia Deo diſplicet, non ad creaturam ut ultimum finem, alias eſſet peccatum mortale, non veniale; ergo &c.

XXI. Reſpondeo primo, ex ſæpe dictis, hominem juſtum peccantem venialiter habere duos ultimos fines; unum efficaciter volitum, nempe Deum; alterum volitum ſolum inefficaciter, nempe objectum, quod inordinate diligit. Videantur dicta §. præcedente concluſione ſecunda.

Nec dicas, impoſſibile eſſe, quod homo ſimul apprehendat duos ultimos fines —— Nam reſpondeo: hoc verum eſſe de apprehenſione, quæ ſit tantum practica. Non enim poteſt homo judicare hic & nunc, in una re eſſe ſuam perfectam beatitudinem, extra quam nil ſit deſiderandum; & ex altera parte, eſſe hic & nunc aliam rem in prædicta non comprehenſam, in qua ſua beatitudo perfecta conſiſtat: ſecus vero ſi judicio practico judicet in una re eſſe ſuam beatitudinem, judicio vero ſolum ſpeculativo apprehendat eam in altera, ut in caſu. Sicut enim peccans mortaliter ſolum ſpeculative judicat, ſolum Deum eſſe finem ultimum; practice vero creaturam, quam inordinate diligit, & propter quam Deum deſerit; ita e contra Juſtus venialiter peccans practice judicat, ſolum Deum eſſe ultimum finem, ideoque ad eum efficaciter eſt converſus: ſpeculative autem ſolum apprehendit ut finem ultimum creaturam, ideoque inefficaciter ſolum eam vult.

XXII. Reſponderi ſecundo poteſt cum aliis, diſt. min. Non refertur ad Deum actu, conc. min. Habitu; nego min. Cum ergo peccatum veniale ſit actus Deo diſplicens, non poteſt ex influxu charitatis actu ad Deum referri; quia tamen ſit a ſubjecto habente charitatem, nec charitati quoad ſubſtantiam repugnat, ideo a charitate permittitur; unde quod amatur per talem actum, amatur propter Deum habitu, eſto non actu. Colligitur ex D. Thoma tum *1. 2. qu. 88. art. 1. ad 2.* dicente: *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, ſed ſolum actualem, quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.* Et ibidem ad *3. Ille* (inquit) *qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens, quia non conſtituit in eo finem, ſed utens, referens in Deum, non actu, ſed habitu.* Unde 2. 2. qu. 24. art. 10. ad 2. *Quod enim* (inquit) *amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etſi non actu.* Utraque reſponſio probabilis eſt, immo, ſi bene inſpiciatur, in idem recidit.

## §. IV.

*An qui mortaliter peccat, conſtituat ſibi Finem ultimum in Creatura?*

XXIII. Objiciunt quarto. Homo mortaliter peccans conſtituit ultimum finem in creatura, quam inordinate diligit: ſed homo poteſt diverſa peccata etiam diſparate ſe habentia committere, ut fornicationem, furtum, ſuperbiam &c. ergo poteſt habere duos ultimos fines totales.

Confirmatur. Homo peccator, ſive fidelis, ſive infidelis, quatenus eſt in ſtatu peccati, habet pro ultimo fine creaturam; quatenus facit opus moraliter bonum, habet Deum pro ultimo fine: hi autem fines non conferuntur ad invicem. Nam ſi creaturam referret ad Deum, jam creatura defineret illi eſſe ultimus finis: ſi vero Deum referret ad creaturam, jam opus illud non eſſet moraliter bonum, ſed perverſum.

XXIV. Hoc argumentum nos provocat ad ſtatuendum, quiſnam ſit ultimus finis peccantis mortaliter. Hunc eſſe creaturam, docet D. Thomas in *cap. 1. ad Rom. lect. 2.* dicens; *Quicumque enim mortaliter peccat averſus ab incommutabili bono, finem conſtituit in bono commutabili, ſicut fornicator in delectatione carnis, avarus in pecunia.* Qu. 28. de Veritat. art. 2. in cap. *Quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipſo, quantum ad affectum ſuum, præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quam Creatorem. Finis enim eſt, qui maxime diligitur,* Idem docet *qu. 7. de Malo art. 1. ad 20. 1. 2. qu. 89. art. 2. ad 3.* & alibi ſæpe. Rationem autem aſſignans *2. 2. qu. 45. art. 1. ad 1.* ait: *Quicumque autem avertitur a fine debito, neceſſe eſt, quod aliquem finem indebitum ſibi præſtituat: quia omne agens agit propter finem.* Cum autem mortaliter peccans avertatur a fine debito, nempe Deo; neceſſe eſt, ut finem indebitum ſibi præſtituat, nempe creaturam.

XXV. Hoc idem teſtatur Apoſtolus de guloſis, Philipp. 3. *ver. 19.* dicens; *Quorum Deus venter eſt.* Ubi D. Thom. *lect. 3.* ait: *Et dicit Deus, quia proprium Dei eſt, ut ſit principium primum, & finis ultimus. Unde qui pro fine habet aliquid, illud eſt Deus ſuus.* Et S. Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 10. *Nec eſt* (inquit) *alia vita hominum vitioſa, atque culpabilis, quam male utens, & male fruens.* Male autem frui, eſt alicui per amorem inhærere, tamquam ſummo bono, ſeu fini ultimo, quod revera nec ſummum bonum ſit, nec finis ultimus: *Frui enim eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam* (ait lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 4.)

XXVI. Verum quando dicitur, omnem peccantem mortaliter ultimum finem conſtituere in creatura, non ſic eſt accipiendum, quaſi omnis mortaliter peccans formali, & expreſſa intentione creaturam habeat pro ultimo fine ſimpliciter, vel pro Deo, ſicut habent Idololatræ; ſed quod eam pro tali habeat, ſaltem virtualiter, & implicite. Quia, eſto nec intendat, nec cogitet creaturam ſibi eſſe Deum, aut finem ultimum; dum tamen Deum, Deique amicitiam deſerit, eamque illi voluptati, & creaturæ, ad quam peccando convertitur, poſtponit; mortali quadam interpretatione cenſetur, magis creaturam diligere, quam Deum, eamque facere ſuum ultimum finem, & habere loco Dei: quia, ut ſuperius dicebamus ex D. Thom. cum quis avertitur a fine debito, neceſſe eſt ut aliquem finem indebitum ſibi præſtituat; quia omne agens agit propter finem.

XXVII. In aſſignando autem, quænam ſit iſta creatura, in qua homo, mortaliter peccans, ſibi ultimum finem conſtituit; non uniformes reperio etiam D. Thom. Diſcipulos. Quidam enim dicunt, creaturam, quam ſibi ut ultimum finem homo præſtituit, peccando lethaliter, eſſe ipſummet peccatum, qui omnia ad ſe peccando ordinat; illam vero creaturam, propter quam peccat, eſſe ſolum finem proximum. Dicunt ergo, hominem peccantem conſiderari poſſe, vel materialiter, & ſecun-

ſecundum ſe; & formaliter in ratione termini actus, ſeu ut fruens illo bono, quod inordinate appetit, Primo modo habet rationem finis *cui*; quia illud bonum ſibi appetit. Secundo modo habet rationem finis *qui*, ſeu *cujus gratia*; quia appetit, puta, divitias, honores, ut ipſe ornetur, ditetur, eiſque fruatur. Nec enim ſemper finis *cui*, & finis *qui* realiter diſtingui debent: ut, ſi velim Dei gloriam, Deus in ſe, eſt finis *cui*, & ut glorificandus, eſt finis *qui*.

XXVIII. Hanc opinionem firmant auctoritate S. Auguſtini, qui *l. 14. de Civit. Dei c. 28.* ait: *Fecerunt itaque civitates duas amores duo; terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei: Cæleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Quibus ſentit, quod ſicut amor Dei facit, ut homo ſe, & omnia ſua ordinet in Deum, ut finem ultimum, & hoc vocat civitatem Dei; ſic amor ſui inordinatus, qui (teſte D. Th. infra *q. 77. art. 1.*) eſt cauſa omnis peccati, facit, ut peccator omnia alia, etiam Deum, in ſeipſum, ut ultimum finem, referat; & hoc vocat civitatem Babylonis. Unde *l. 2. de Lib. arb. c. 24.* ait: *Unde autem hæc averſio* (ſcilicet a Deo per peccatum) *niſi cum ille, cui bonum eſt Deus, ſibi ipſe vult eſſe bonum ſuum, ſicut ſibi eſt Deus?* Item S. Thomæ in *2. diſt. 42. qu. 2. art. 1.* qui ait: *Finis autem ultimus in amore commutabilium bonorum eſt ipſe homo, propter quem omnia alia quærit: & ideo, ſi radix peccati accipiatur ex parte ipſius peccantis, erit una: ſi autem ſumatur ex parte eorum, quæ propter ſeipſum peccans quærit, erunt plures.*

XXIX Alii vero volunt, peccatum moraliter habere pro fine ultimo bonum proprium, & privatum, ſeu quatenus ſatiativum voluntatis ſuæ appetibile juxta proprium arbitrium, & ſine ſubordinatione ad rectæ rationis, & divinæ legis regulas. In quo diſſident ab Auctoribus primæ ſententiæ; quod illi peccatorem faciunt ultimum finem *qui* in recto: iſti autem ſolum connotative, & in obliquo. Finis enim *qui* in recto eſt ipſum bonum proprium: quia vero appetitur, ut commodum, & conveniens tali ſubjecto, oportet, ut id, reſpectu cujus dicitur conveniens, nempe ipſa perſona peccatoris, extrinſece, & in obliquo connotetur. Utraque opinio eſt probabilis; immo parum in re diſcordans. Quia vero aliqua ſunt, quæ videntur evincere, non ſemper peccantem lethaliter ponere ultimum finem in creatura: propterea

XXX. Objici poteſt primo. Peccator, dum lethaliter peccat, non ſemper deſerere vult Deum, propter creaturam, hanc illi præponendo. Nam contingit, aliquos ex zelo divini honoris, ſed indiſcreto, alios ex ignorantia, alios ſub ſpe veniæ peccare lethaliter: hi autem non videntur deſerere Deum.

XXXI. Secundo. Poteſt quiſpiam peccare moraliter, ne contriſtet amicum, etiamſi illum minus, quam ſeipſum amet, & pro quo nec vellet unum digitum perdere, multo minus mori: ergo etiam poteſt homo propter quamcumque creaturam peccare mortaliter, & eam minus diligere, quam Deum.

XXXII. Tertio. Etiamſi filius velit potius incurrere indignationem patris propter ſervum, quem contra ejus voluntatem vult a morte eripere, non propterea deſinit magis amare patrem, quam ſervum; ergo ſimiliter non deſinit Deum magis, quam creaturam diligere, qui propter creaturam vult incurrere gravem Dei indignationem, peccando lethaliter.

XXXIII. Quarto. Illud quiſpiam magis amat, pro cujus amore libenter cætera amitteret: ſed peccatores ſæpe mallent ſe, omnemque creaturam non eſſe potius, quam non eſſe Deum; ergo &c.

XXXIV. Quinto. Fornicator aliquando paratus eſt dare pauperibus propter Deum, puta, viginti aureos, ex quibus non vellet dare meretrici niſi decem; ergo iſte diligit Deum plus, quam viginti aureos, & plus quam meretricem.

XXXV. Sexto. Si ex decem præceptis divinis quiſpiam ſolum vellet tranſgredi unum; ex decem vero contrariis præceptis a tyranno impoſitis, vellet tranſgredi novem, & ſolum ſervare unum: pluris æſtimaret Deum, ejuſque præcepta, quam creaturam, ejuſque mandata: & tamen peccaret mortaliter; ergo &c.

XXXVI. Septimo. Etſi detur, quod peccator aliquam creaturam diligat pluſquam Deum, non tamen ſequitur, quod eam diligat pluſquam cæteras creaturas: cum fieri poſſit, quod aliquam creaturam adhuc magis diligat; ergo illam creaturam non habet pro ultimo fine.

XXXVII. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum dico, eos, qui vel ex zelo indiſcreto divini honoris, aut ex ignorantia culpabili peccant mortaliter, licet actu imperfecto, & inefficaci velint, aut videantur velle placere Deo, nec eum deſerere; actu tamen perfecto, & inefficaci volunt deſerere Deum, & præferre Creatori creaturam: ſive hæc ſit proprium judicium, ſive amor præconceptæ opinionis, ſicut in iis, qui ex zelo peccant: ſive voluptas, ſive divitiæ, vel honores, ut in iis, qui ex ignorantia culpabili peccant. Illi autem, qui ſub ſpe veniæ mortaliter peccant, etſi ſperent amicitiam Dei recuperare; hic & nunc tamen ex amore creaturæ Deum abjicere non verentur, pluris eam facientes, quam Deum, eamque ut Deum, & ultimum finem virtualiter, & interpretative habentes.

XXXVIII. Ad ſecundum, nego ant. Nam qui mortaliter peccat propter amicum, eo actu revera minus ſe amat, quam illum cum ejus gratia Deum derelinquat, & animam ſuam, ac ſeipſum perdat: etiam ſi in alia circumſtantia poſitus, nec digitum pro eo perdere vellet.

XXXIX. Ad tertium, neg. conſeq. Quia amor erga patrem non tollitur per quamcumque offenſam, etſi gravem; eſt enim in natura fundatus; nec propter patrem, ut finem ultimum, tenetur filius omnia facere quæ facit. Unica autem offenſa Dei, quæ ſit gravis, tollit ex integro charitatem, omnemque veram Dei amicitiam; ut nec naturali amore eum amplius efficaciter diligere queat: cum enim ſeipſum, & omnia ſua debeat ad Deum, & propter Deum, ut ultimum finem, dirigere; ſi ſemel, ut complaceat creaturæ, hoc omittat, plus amat iſtam, quam Deum, & ſe convertit ad ultimum finem cum priore incompoſſibilem.

XL. Ad quartum, diſt. min. Mallent amore inefficaci, tranſeat, efficaci, nego min. Quamvis enim peccans mortaliter, aliquo amore inefficaci, & quaſi ſpeculativo afficiatur erga Deum, quem ſcit eſſe ſummum bonum; hic & nunc tamen dum peccat, & ipſum, ejuſque legem poſtponit amori creaturæ practice, & efficaciter magis amat creaturam, propter cujus affectum non curat, Deum, ejuſque amicitiam perdere.

XLI. Ad quintum, diſtinguo eodem modo conſequens. De amore inefficaci concedendo illud; negando autem de amore vero, efficaci, & practico. Nam licet eſſet paratus dare viginti aureos pauperibus propter Deum; dum tamen dat decem, ut peccet cum meretrice, efficaciter plus amat meretriciam voluptatem, quam Deum, quandoquidem illam practice antepoñit Deo, ejuſque amori.

XLII. Ad ſextum, neg. ant. Cum enim per unius præcepti violationem Deum deſereret, & magis afficeretur ad eam creaturam, cui vellet ſatisfacere potius, quam Deo obedire; pluris illam æſtimaret, quam Deum, ejuſque amicitiam; nec refert, quod ex decem præceptis tyranni vellet novem contemnere; quia hoc non compenſaret vel unius præcepti divini tranſgreſſionem. Nam præcepta divina tantam ab homine requirunt æſtimationem & talem animum; ut velit omnia obſervare, nec vel unum tranſgredi ea tranſgreſſione, quæ violet amicitiam: alias fit omnium reus, ut dicitur *Jacobi 2. v. 10.* nec diligit Deum ſupra omnia.

XLIII. Ad ſeptimum, neg. conſ. Quidquid enim ſit, an abſolute creaturam, propter quam peccat, diligat plus quam cæteras: hic & nunc tamen, dum propter eam deſerit Deum, & pluris eam facit, quam Deum; eam plus diligit, quam cæteras: & ultimum finem, quem in Deo conſtituere deberet, in ea interpretative ſaltem conſtituit.

XLIV. Supereſt ſolvere argumentum initio hujus §. propoſitum. Diſtinguo igitur maj. In creatura, ut ſibi convenienti, conc. maj. Ut talis eſt, & ſeorſim accepta, nego maj. *Peccator* (inquit Cajetanus in hunc art. 3. §. ultimo) *nec in gula, nec in juſtitia apparenti bono ſeorſum conſtituit ultimum finem; cujus ſignum eſt, quod neutrum ſibi ſufficit, ſed omnia commutabilia bona ad quæ peccator convertitur, referuntur ad unum finem, qui eſt ſimpliciter ultimus, ſcilicet, ſibi ipſummet, quoniam omnia appetit ut conferentia ad bonum proprium. Ita quod hujuſmodi bona non appetuntur ut fines ultimi ſimpliciter, ſed ut fines ultimi partiales; ut ſcilicet partes boni proprii, quod eſt ſimpliciter ultimus finis illius, & intentum in omni peccato mortali.*

XLV. Ad confirm. dico ex doctrina ſæpe allata, peccatorem fidelem, vel infidelem, dum aliquod bonum opus moraliter facit, habere quidem duplicem ultimum finem, ſed unum efficaciter volitum, nempe, creaturam, ſeu bonum proprium: alterum ſolum inefficaciter, nempe Deum, ſeu bonum honeſtum. Vel, ut alii dicunt, habere duplicem finem; unum habitu, alterum actu; ſeu unum ex parte operantis, alterum ex parte operis, quod non negamus.

---

## QUÆSTIO II.

*De Beatitudine objectiva, & formali Hominis.*

QUIA ultimus finis eſt ille, in quo appetitus quieſcit, & ſubinde ejus beatitudo; ideo D. Th. poſtquam hic *q. 1.* egit de ultimo fine hominis, ſpecialiter agere inſtituit de ejus beatitudine. Quia vero beatitudo duplex eſt, una objectiva, altera formalis; objectiva eſt ipſum objectum, ſeu res beatificans, per cujus poſſeſſionem reddimur beati: formalis eſt actus ipſe, quo beatitudinem objectivam, ſeu objectum beatificans apprehendimus, & poſſidemus; prius de objectiva, deinde de formali beatitudine ſermonem cum Angelico noſtro Præceptore inſtituemus.

### DUBIUM I.

*In quo conſiſtat Beatitudo Objectiva Hominis.*

### §. I.

*Præmittuntur aliqua.*

I. BEatitudo definitur a Boetio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Similem definitionem tradit S. Aug. *in Pſalm. 2.* Beatitudo (inquit) ibi eſt, *ubi eſt bonorum omnium ſumma, & cumulus.* Verum quia iſtæ, & aliæ definitiones explicant quidem ſtatum, & materiam beatitudinis, non autem rationem formalem, cur illa plenitudo, & cumulus bonorum rationem beatitudinis habeat, propterea optimam cenſeo definitionem; quod beatitudo ſit. *Summum bonum appetitus rationalis adæquate ſatiativum.* Hæc enim definitio explicat rationem, quare aliquod objectum ſit beatificans, & conſequenter beatitudinem objectivam, de qua hic loquitur. Additur quoque *appetitus rationalis*; quia irrationales creaturæ incapaces ſunt beatitudinis, utpote deſtinatæ ad ſerviendum, in quo non eſt felicitas. Patet quoque differentia inter bea-



beatitudinem, & ultimum finem: quia ultimi finis creaturæ irrationales ſunt capaces, beatitudinis vero ſolæ rationales, & quoad partem intellectivam. Dicitur quoque *adæquate ſatiativum*; ut diſtinguatur beatitudo perfecta, quam habebimus in alia vita, ubi nihil deſiderandum ſupererit, a beatitudine imperfecta præſentis vitæ, quæ eſt quædam via ad perfectam.

II. Beatitudo objectiva duplex eſt: alia naturalis, alia ſupernaturalis. Hæc eſt ſummum bonum viribus ſupernaturalibus gratiæ in ſe obtentum. Illa vero eſt idem per vires naturæ obtentum, non tamen in ſe, dicente Paulo 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

III. Dividitur inſuper beatitudo objectiva in eſſentialem; & hæc eſt ipſum objectum ex ſua eſſentia beatificans, nempe ipſa divina eſſentia, & Deus ipſe, ut dicemus; & accidentalem; & hæc ſunt alia objecta inferiora, ut Corpus Chriſti in Cælo, creaturæ cognitæ extra Verbum, gloria corporis beati, & ſimilia. Hic ergo de beatitudine objectiva ſupernaturali, perfecta, & eſſentiali creaturæ rationalis quærimus, in quo ſita ſit.

IV. De hoc tot fuerunt Philoſophorum placita, ut S. Auguſt. *l. 18. de Civit. Dei c. 1.* referat: quod *Marcus Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, ac ſubtiliter ſcrutatus advertit; ut ad ducentas octoginta octo ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillime perveniret.* His tamen prætermiſſis.

### §. II.

*Aſſertio Catholica.*

V. DIco. In nullo bono creato, ſive diviſive, ſive collective ſumpto, ſed in ſolo Deo poſſeſſo conſiſtere poteſt vera objectiva beatitudo hominis. In nullo bono creato ſigillatim ſumpto conſiſtere veram hominis beatitudinem, oſtendit D. Thom. hac *q. 2.* per totam. Septem enim ſunt bona, quæ aliquis cogitare poteſt, hominis beatitudinem conſtituere, divitiæ, honor, fama, ſeu gloria, poteſtas, bona corporis, voluptas, bona animæ: ſed nullum ex his poteſt eſſe res, quæ plene hominem, & finaliter beatum efficiat; ergo &c. Min. prob. Non divitiæ; quia ut probat D. Th. hac *q. 2. art. 1.* divitiæ aliæ ſunt naturales, quibus, ſcilicet, homini ſubvenitur ad defectus naturales tollendos, ut cibus, potus, veſtimenta, vehicula, habitacula; hæc autem ſerviunt homini, & ad ipſum ordinantur; ergo non ſunt finis, ad quem ordinatur homo. Aliæ ſunt artificiales, ut pecuniæ: & hæ ordinantur ad naturales comparandas, vel conſervandas; multo ergo minus ad eas ordinatur homo, ut ad finem. Addo, divitias non quietare, ſed anxium reddere eas poſſidentem. Unde Salomon, qui præ omnibus eas poſſedit, ut ipſe ſcribit Eccleſiaſtæ 2. v. 9. *Et ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jeruſalem*; tantum abeſt, ut illis beatus fuerit, quod poſtea v. 11. *Vidi* (inquit) *in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Quare Chriſtus, non divites, ſed pauperes ſpiritu beatos dixit, Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu* —— Nec refert, quod divitiæ in hominis affectu maxime dominentur; Eccleſiaſtæ 10. v. 19. *Pecuniæ obediunt omnia* —— Nam ait D. Thom. hic *ad 1.* Hoc verum eſt judicio ſtultorum, qui erga ſola corporalia afficiuntur, quibus abundat Mundus: non judicio Sapientum, a quibus ſumi debet judicium, *Sicut & judicium de ſaporibus ab his, qui habent guſtum bene moderatum.*

VI. Non in honore conſiſtere poteſt vera beatitudo. Nam, ut probat S. Thom. hoc *art. 2.* honor exhibetur alicui in ſignum, & teſtimonium excellentiæ, quæ in honorato eſt; ergo non eſt ipſa excellentia, quæ ex beatitudine maxime attenditur; ſed excellentiam, & beatitudinem potius ſequitur, & ſupponit. Unde *ad 2.* ait: *Quod honor debetur Deo, & excellentiſſimis, in ſignum, vel teſtimonium excellentiæ præexiſtentis; non quod ipſe honor faciat eos excellentes.* Cum vero dicitur, honorem eſſe præmium virtutis, reſpondet D. Thom. ibi *ad 1.* *Quod honor non eſt præmium virtutis, propter quod virtuoſi operantur, ſed accipiunt honorem ab hominibus loco præmii, quaſi a non habentibus ad dandum majus. Verum autem præmium virtutis eſt ipſa beatitudo, propter quam virtuoſi operantur: ſi autem propter honorem operarentur, jam non eſſet virtus, ſed magis ambitio.*

VII. Neque etiam in fama, ſeu gloria. Quia, ut probat idem S. Doct. hoc *art. 3.* fama eſt notitia clara, quæ de aliquo habetur cum laude: notitia autem, quæ de aliquo habetur & laus, ſi eſt vera, ſupponit, ipſum habere in ſe excellentiam illi famæ parem, & condignam, non eam tribuit: ſola enim cognitio Dei eſt, quæ cauſat bonum, & excellentiam in re. Si vero falſa, non datur in homine talis excellentia, atque adeo non habet beatitudinem. Eadem ratione nec in nobilitate beatitudo locari poteſt. Tum quia nobilitas eſt quædam ſpecies gloriæ, ſeu claritatis nominis. Tum quia nobilitas a noſcendo dicta eſt, quaſi is dicatur nobilis, quia dignus ſit cognoſci ab omnibus: unde & ipſa excellentiam ſupponit, non dat.

VIII. Non in Poteſtate. Quia ut docet S. Th. citato loco *art. 4.* Poteſtas ſeipſa non eſt perfectum bonum, cum multis aliis egeat; immo multis malis ſubjiciatur, ſolicitudini, formidini, egeat ſatellite, militibus &c. ea quoque adepta poſſunt homini multa neceſſaria deeſſe, puta, ſapientia, ſanitas corporis &c. beatitudine autem adepta nullum neceſſarium bonum homini deeſſe debet. Poteſtate quoque poteſt homo uti ad bonum, & malum; beatitudo autem non permittit malum.

IX. Non in bonis corporis. Nam, ut probat S. Doct. *art. 5.* Bona corporis ordinantur ad conſervationem hominis in eſſe; ipſe autem homo non eſt ſubimet finis ultimus, cum non ſit ſummum bonum, nec ſuum eſſe: & ideo conſervatio in eſſe non eſt ſua beatitudo. Tum etiam, quia ſicut corpus eſt propter animam; ita omnia bona corporis ſunt propter bona animæ, ei deſervientia tamquam organa ad ejus bonum ordinata. Addo, bona corporis eſſe inſtabilia, immo multa pecora hominem in eis ſuperare, ut fortitudine, velocitate, longævitate &c. quamvis autem eſſe maxime deſideretur; non tamen propter ſe, ſed propter alium ultimum finem.

X. Multo minus in voluptate. Quia, ut oſtendit D. Thom. *art. 6.* omnis voluptas, ſeu delectatio generaliter loquendo ſequitur beatitudinem, non conſtituit; cum ſequatur ex bono conjuncto, vel ſperato. Specialiter autem voluptas corporalis cauſatur ex bono corpori conveniente; nullum autem corporale bonum poteſt eſſe beatitudo, cum ordinetur ad bonum animæ; & ideo omnia bona corporis inferiora ſunt bonis animæ, nec ſunt ſummum bonum.

XI. In bonis autem animæ beatitudo conſiſtere non poteſt, ut S. D. *artic. 7.* probat. Nam ſi loquamur de re beatificante, ſeu adepta, aut fine *qui* (ut de facto loquimur) non de adeptione beatitudinis, ſeu fine *quo*; ipſa anima non eſt ſibi beatitudo, immo perfici debet, ut ad eam perveniat. Multo minus potentiæ, vel quidquid aliud eſt in anima; cum ſerviant animæ ad beatitudinem comparandam: adeptio tamen beatitudinis ad animam pertinet, quia aliquo actu animæ adipiſcimur eam.

XII. Supereſt probanda ſecunda pars concluſionis, quod nec in omnibus bonis creatis collective, & ſimul ſumptis conſiſtere poſſit vera hominis, & perfecta beatitudo. Quod ita probo (intelligendo etiam de omnibus creaturis poſſibilibus, immo excogitabilibus) Non poteſt aliquid conſtituere ultimam, & perfectam hominis beatitudinem, niſi reipſa plene, & adæquate ſatiet appetitum, ut nihil ultra deſiderandum ei ſuperſit: ſed creaturæ omnes excogitabiles, etiam ſimul, & collective ſumptæ, non poſſunt plene, & adæquate ſatiare appetitum hominis, itaut nihil ultra deſiderandum ei ſuperſit; ergo &c. Maj. conſtat. Min. prob. Si v. g. conſideremus hominem poſſidentem omnes divitias, omnibus honoribus coronatum, omnibus deliciis affluentem, & fruentem; uno verbo, poſſidentem omnia bona creata, & creabilia, & ſecurum de æterna illorum poſſeſſione, nondum tamen ejus appetitus adæquate ſatiabitur: ulterius enim deſiderabit poſſidere, frui ſummo bono, qui eſt Deus, & qui omnium, quæ poſſidet, ſicut & ipſius hominis, prima cauſa, & ultimus finis eſt; & cujus poſſeſſionis, ac fruitionis appetitus hominis eſt capax; immo poſitive ad eam ordinatus; ergo creaturæ omnes &c.

Confirmatur. Tota collectio creaturarum poſſibilium, & excogitabilium, ſicut ſibi ipſi non poteſt eſſe primum principium, ita nec ſibi ipſi ultimus finis; ergo multo minus poteſt eſſe ultimus finis, & beatitudo hominis: ſicut nec poteſt eſſe ejus primum principium.

XIII. Ex his infertur tertia pars, nempe, quod ſolus Deus ſit ultimus finis, & beatitudo perfecta hominis, qui ſolus poteſt adæquate ſatiare ejus appetitum. Nam, ut docet D. Thom. hac *q. 2. art. 8.* Cum objectum voluntatis, qui eſt appetitus humanus, ſit univerſale bonum, ſicut objectum intellectus eſt univerſale verum; nihil poteſt perfecte quietare voluntatem hominis, niſi bonum univerſale: ſed hoc non invenitur in ullo bono creato, etiam collective ſumpto; quia omne creatum habet bonitatem participatam, ſed in ſolo Deo: ergo ſolus Deus voluntatem hominis adæquate replere poteſt. Unde *Exodi 33. v. 18.* Moyſi petenti a Deo; *Oſtende mihi gloriam tuam*; Deus *v. 19.* reſpondit: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Et David Pſalm. 16. v. 15. *Satiabor* (inquit) *cum apparuerit gloria tua.* Et Apoc. 1. v. 8. & 22. v. 13. *Ego ſum Alpha, & Omega, primus, & noviſſimus, principium, & finis.* Hoc teſtantur uno ore Patres, inter quos Auguſtinus paſſim, præcipue *Serm. 156.* olim *13. de Verb. Apoſtol. c. 7.* ubi ait: *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Stoicus, mihi frui mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus, mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Et *Serm. 130.* olim tract. de Epicureis, & Stoicis c. 7. *Jam* (inquit) *conſtitutis ante oculos noſtros tribus, Epicureo, Stoico, Chriſtiano, interrogemus ſingulos. Dic Epicure: quæ res facit beatum? Reſpondet, voluptas corporis. Dic Stoice: virtus animi. Dic Chriſtiane: donum Dei.*

### §. III.

*Reſpondetur objectis.*

XIV. GEntilium argumentis, quia nullius ponderis, omiſſis, objicitur contra rationes, quibus ſecundam, & tertiam partem probavimus, Primo. Eſto nullus homo beatificari poſſit per poſſeſſionem bonorum creatorum, ſed ſolum per poſſeſſionem Dei, quia de facto omnis homo creatus eſt ad Deum poſſidendum; non infertur tamen, creari non poſſe hominem, cujus beatitudo conſiſteret in pacifica poſſeſſione bonorum creatorum; quia foret incapax poſſidendi bonum divinum.

XV. Nego tamen aſſumptum. Nam ſicut implicat creari hominem, qui rationalis non eſſet; ita implicat creari hominem, qui eſſet incapax poſſidendi Deum, qui, ut diximus, ſolus poteſt eſſe ſatiativus appetitus rationalis. Et ſicut implicat, Deum eſſe primum principium, & non ultimum finem; ita implicat, hominem a Deo creari, & ad Deum per ultimum finem non ordinari.

XVI. Di-